

quoniam unigenitus filius et Verbum Dei ante secula, et sine tempore de Patre natus, idem ipse, et in ultimis diebus descendens de caelis incarnatus de Spiritu sancto, et ex sancta atque gloriosa semper virgine, et Dei genitrice Maria, homo factus, dominus noster Jesus Christus, proprie et vere Deus est: ideo et sanctam atque gloriosam virginem Mariam proprie et vere Dei matrem esse dicimus: non quia Deus verbum principium ex ipsa sumpserit, sed quia in ultimis diebus descendit de caelis, et ex ipsa incarnatus, et homo factus, et natus est. Quem confitemur et credimus, (sicut dictum est,) consubstantiali esse Patri secundum deitatem, et consubstantiali nobis eundem ipsum secundum humanitatem: ejusdem miracula et passiones, quas sponte in carne sustinuit agnoscentes. — § 3. Suscipimus autem sancta quatuor<sup>23</sup> concilia: id est, trecentorum decem et octo sanctorum patrum, qui in Nicæna urbe congregati sunt: et centum quinquaginta sanctorum patrum, qui in hac regia urbe conveniunt: et sanctorum patrum, qui in Epheso primo congregati sunt, et sanctorum patrum, qui in Chalcedone conveniunt: sicut vestra apostolica sedes docet, atque predicat. Omnes ergo sacerdotes sequentes doctrinam apostolicam sedis vestrae ita credunt, et confitentur et predicant. — § 4. Unde properavimus hoc ad notitiam deferre vestrae sanctitatis per Hypatium, et Demetrium beatissimos episcopos, ut nec vestram sanctitatem lateat, quæ et a quibusdam paucis monachis male et judaice secundum Nestorii perfidiam denegata sunt. — § 5. Petimus ergo vestrum paternum affectum: ut vestris ad nos destinatis literis, et ad sanctissimum episcopum hujus almae urbis, et patriarcham vestrum fratrem; (quoniam et ipse per eosdem scripsit ad vestram sanctitatem, festinans in omnibus sedem sequi apostolicam beatitudinis vestrae) manifestum nobis faciatis, quod omnes, qui prædicta recte confitentur, suscipit vestra sanctitas; et eorum qui judaice ausi sint rectam denegare fidem, condemnat perfidiam. Plus enim ita circa vos omnium amor, et vestrae sedis crescit auctoritas; et que ad vos est unitas sanctorum ecclesiarum inturbata servabitur, quando per vos didicerint omnes beatissimi episcopi eorum, quæ ad vos relata sunt, sinceram vestrae sanctitatis doctrinam. Petimus autem vestram beatitudinem orare pro nobis, et Dei nobis acquirere providentiam.

§ 6. *Item subscriptio talis fuit.*

Deitas te conservet per multos annos sancte ac religiosissime pater. Liqueat igitur, imperator gloriosissime (ut lectionis tenor, et legatorum vestrorum relatio patefecit) vos apostolicis eruditionibus studere, cum de religione catholica fidei ea sapitis, ea scripsistis, ea protulistis, ea populis fidelibus publicastis, quæ (sicut diximus) et sedis apostolica doctrina, et sanctorum patrum veneranda decrevit auctoritas, et nos confirmavimus in omnibus. Opportunum est ergo voce exclamare prophetica: *Jucundetur tibi, et abundet cœlum desuper, et effundant montes jucunditatem, et colles lætitia lætabuntur.* Hæc igitur in tabulis cordis fideliter scribere, hæc ut pupillas oculorum convenit observare. Neque enim quisquam est, in quo Christi charitas fervet, qui tam rectæ, tam veræ confessionis vestrae fidei refragator existat: cum evidenter impietatem Nestorii, Eutychetisque et omnium hæreticorum damnantes, unam veram catholicam fidem domini et Dei nostri salvatoris Jesu Christi magisterio institutam, et prophetis apostolicisque prædicationibus ubique diffusam, et sanctorum per totum orbem confessionibus roboratam, patrum atque doctorum sententiis adunatam, et nostræ doctrinae consentaneam, inconcusse atque inviolabiliter devota Deo et pia mente servatis: soli etenim professionibus vestris adversantur, de quibus divina Scriptura loquitur, dicens: *Posuerunt mendacium spem suam, et mendacium operiri speraverunt:* et iterum qui secundum prophetam dicunt Domino: *Recede a nobis; vias tuas scire nolumus:* propter quod Salomon dicit: *Per semitas propriæ culturæ erraverunt: colligunt autem manibus infructuosa.* Hæc est igitur vera vestra fides, hæc certa religio: hoc beate recordationis, ut diximus, patres omnes, præulesque romanæ Ecclesie, quos in omnibus sequimur: hoc sedes apostolica prædicavit hactenus, et inconcusse custodivit: huic confessioni, huic fidei quisquis contradictor extiterit, alienum se ipse a (sancta) communione, alienum ab Ecclesia iudicabit esse catholicam. Nos enim Cyrum cum sequacibus suis in romana invenimus civitate, qui de Cumitensi monasterio fuit: quos apostolicis suasionibus ad rectam fidem, et velut oves quæ perierant errantes ad ovile contendimus revocare dominicum, ut agnoscant secundum prophetam linguæ balbutientes loqui, quæ ad pacem sunt. Ad non credentes autem per nos primus apostolorum Esaiæ propheta verbum dicit, *ambulate in lumine ignis vestri et flammæ quam succendistis.* Sed obduratum est cor eorum, ut scriptum est, ut non intelligerent: et pastoris vocem oves, quæ mee non erant, audire minime voluerunt: in quibus

<sup>23</sup> L. 7, § 4. *supr. eod.*; N. 151, c. 1. — 29. N. 109, c. ult. *inno vide* L. 5, *infr. de apostol.*  
Tit. II. — 1. N. 37. — 2. N. 46, 151. — 3. N. 22, c. 2, in pr. — 4. *Abrégé*, N. 43. — 5. *Inno*

observantes ea, quæ ab ipsorum sunt statuta pontifice, eos minime in nostra communione recipimus, et ab omni Ecclesia catholica esse jussumus alienos: nisi, errore damnato, doctrinam nostram quantoque sequi, habita regulari professione signaverint. Aequum quippe est, ut qui nostris minime obedientiam accommodat statutis, ab ecclesiis habeantur extores. Sed quia gremium suum nunquam<sup>24</sup> redeuntibus claudit Ecclesia: obsecro clementiam vestram, ut si proprio deposito errore, et prava intentione depulsa, ad unitatem Ecclesie reverti voluerint: in vestram communionem receptis, indignationis vestrae removeatis aculeos, et nobis intercedentibus benigni animi gratiam condonetis. Deum autem et salvatorem nostrum Jesum Christum exoramus, quatenus longavis et pacificis vos dignetur custodire temporibus in hac vera religione et unitate, et veneratione apostolica sedis, cujus principatum, ut christianissimi, et pii conservatis in omnibus. Præterea sereneissime principum laudamus legatorum vestrum personas Hypatii et Demetrii fratrum et coepiscoporum nostrorum: quos clementiæ vestrae gratos fore ipsa manifestavit electio. Nam tantæ causæ pondus non nisi perfectis in Christo potuisset injungi: tantæ vero pietatis, tantæ reverentiæ plenos affatus, nisi per amantes minime dignaremini destinare. Gratia domini nostri Jesu Christi et charitas Dei patris et communicatio sancti Spiritus sit semper vobiscum, piissime filii, amen. *Item subscriptio:* Omnipotens Deus regnum vestrum et salutem vestram perpetua protectione custodiat gloriosissime et clementissime filii imp. Auguste. — D. Rom. 8 kal. apr. DN. JUSTINIANO P. P. A. [4] et PAULINO V. C. CONSS. 534.

## TIT. II.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS<sup>1</sup> ET DE [REBUS, ET] PRIVILEGIIS<sup>2</sup> EARUM.

## 1. Imp. CONSTANTINUS August., ad Populum.

Habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholico, venerabilique concilio decedens honorum, quod optaverit relinquere: et non sint cassa judicia [ejus.] Nihil enim est quod magis hominibus debeat; quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber<sup>3</sup> sit stylus, et licitum quod iterum non redit arbitrium. PP. V. non. Jul. Romæ, CRISPO 2 et CONSTANTINO 2 CONSS. 321.

## 2. Imp. GRATIANUS VALENTIN. et THEOD. AAA.

## Pancratio præfect. urbi.

Nemo apostolorum vel martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam. — Dat. 3 kal. Aug. Heracleæ, EUCHARIO et SYAGRIO CONSS. 381.

## 3. Imp. HONOR. et THEOD. AA.

Nemo martyres distrahat, nemo mercetur. — Dat. 3 kal. Mar. CP. HONOR. N. P. et EUODIO CONSS. 386.

## 4. Idem AA. NICOENO P. P.

Non plures<sup>4</sup>, quam nongenti quinquaginta<sup>5</sup> decani sacrosanctæ hujus amplissimæ urbis deputentur ecclesiæ: nullique his addendi, vel mutandi, vel in defuncti locum substituendi<sup>6</sup> pateat copia: nulli alii corporatorum præter dictum numerum per patrocinia immunitate concessa, negataque omni novationis facultate similia vindicandi, his quæ in honorem vel necessaria obsequia sacrosanctæ ecclesiæ indulta sunt. — Datum 7 kalend. sept. Eudoxiopol. HONOR. A. 8 et THEOD. juniore A. 8 CONSS. 409.

## 5. Idem AA. Militio P. P.

Placet, rationabilis consilii tenore perpenso, districta moderatione præscribere, a quibus specialiter necessitatibus singularum urbium ecclesie habeantur immunes. Prima quippe illius usurpationis contumelia depellenda est; ne prædia usibus celestium secretorum dedicata, sordidorum<sup>7</sup> munerum fæce vexentur: nil extraordinarium<sup>8</sup> ab hinc superinductumve flagitetur: nulla translationum sollicitudo<sup>9</sup> signetur: postremo nihil præter canonicam illationem, quam adventitiæ necessitatis sarcina repentina<sup>10</sup> poposcerit, ejus functionibus adscribatur. Si quis contraverit: post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos [jure] promenda est, exilio deportationis perpetuo subdatur. — Dat. 8 kal. Jul. Rav. HONORIO 9 et THEODOSIO V. AA. CONSS. 412.

## 6. Idem AA. Philippo præfecto prætorio Illyrici.

Omni innovatione<sup>11</sup> cessante vetustatem et canones pristinos ecclesiasticos N. 59, in pr. — 6. N. 16, c. 1. — 7. N. 151, c. 5; *add* L. 2, *infr. tit. prox.* — 8. *Fide tamen* L. 1, *infr. de indict.* — 9. *Fide tamen* L. 5, *infr. tit. prox.* — 10. L. 11, *infr. h. t.* — 11. L. 16 *infr. eod.*

ticos, qui usque nunc tenerunt, etiam per omnes Illyrici provincias servari præcipimus: ut, si quid dubietatis emergerit, id oporteat (non absque scientia viri reverendissimi sacrosanctæ legis Antistitis [ecclesiæ] urbis Constantinopolitanae, quæ Romæ veteris prerogativa letatur<sup>12</sup>) conventui sacerdotali sanctoque judicio reservari. — D. pridie id. Jul. EUSTATHIO et AGRICOLA CONSS. 421.

## 7. Idem AA. Asclepiodoto P. P.

Ad instructiones<sup>13</sup> itinerum pontiumque, etiam divinas domos et venerabiles ecclesias tam laudabili titulo adscribimus: quia non est inter sordida munera numeratum. — Dat. 15 kal. Mart. CP. ASCLEPIODOTO et MARINIANO CONSS. 425.

## 8. Imp. CARUS Præsidero P. P.

Sacrosancta Thessalonicensis<sup>14</sup> civitatis ecclesia aperte sciat, propria tantummodo capitationis modum beneficio nostro munus sublevandum: nec extraneorum gravamine tributorum rempublicam ecclesiastici nominis abusione ledendam. — Dat. 6 id. oct. CP. VICTORE V. C. CONSS. 424.

## 9. Imp. THEOD. et VALENTIN. AA. Cyro præfecto urbi.

Qui sub<sup>15</sup> prætextu decanorum seu collegiatorum, cum id munus non impleant, alijs se muneribus conantur subtrahere, eorum fraudibus credimus esse obvium: ne quis sub specie muneris, quod minus exequitur<sup>16</sup>, alterius muneris oneribus relevetur: ne argentiorum vel numulariorum munera declinentur ab his, qui dicit tantummodo collegiati vel decani festinant: ideoque si quis eorum sub nude appellationis velamine collegiatum seu decanum se appellat; sciat, pro se alium subrogandum, qui prædicto muneri sufficiens approbetur: subrogatione videlicet loco memoratorum, vel eorum, qui moriuntur, primatum ejus, qui subrogator, admissa judicio; ab hac dispositione nemine se excusante sacrosanctarum ecclesiarum [reverentiâ]. — Dat. 10 kal. apr. THEOD. 17 et FESTO CONSS. 439.

## 10. Idem AA. Florentio P. P.

Jubemus<sup>17</sup>, nullam<sup>18</sup> navem ultra duorum millium modiorum capacem ante felicem embolam, vel publicarum specierum transvectionem, aut privilegio dignitatis aut religionis intuitu, aut prerogativa personæ publicis utilitatibus subtractam, excusari posse: nec si celeste contra profertur oraculum, sive annotatio sit, sive divina pragmatica sanctio, providentissimæ legis regulas excusare debeat. Quod etiam in omnibus causis cupimus observari: ut generaliter, si quid hujusmodi contra<sup>19</sup> jus vel utilitatem publicam in quolibet negotio profertur, non valeat: quicquid enim in fraudem istius legis quolibet modo fuerit attentatum: id navigii, quod excusatur, publicatione corrigimus. — Dat. THEOD. A. 17 et FESTO CONSS. 439.

## 11. Idem AA. ad Taurum præfectum prætorio.

Neminem<sup>20</sup> ab angariis, vel parangariis<sup>21</sup>, vel plaustris, vel quolibet munere excusari præcipimus, cum ad felicissimam expeditionem nostri munus omnium provincialium per loca, qua iter arripimus, debeant solita nobis ministeria exhiberi: licet ad sacrosanctas ecclesias possessiones pertineant. — Dat. 15 kal. Mart. CP. VAL. A. V. et ANATOLIO CONSS. 440.

## 12. Imp. VALENT. et MARCIANUS AA. Palladio P. P.

Privilegia<sup>22</sup>, quæ generalibus constitutionibus universis sacrosanctis ecclesiis orthodoxæ religionis retro principes præstiterunt, firma et illibata in perpetuum decernimus custodiri. — § 1. Omnes sane pragmaticas sanctiones, quæ contra canones ecclesiasticos intervenit gratiæ vel ambitionis elicitæ sunt, robore suo et firmitate vacuatas cessare præcipimus. — § 2. Et quia humanitatis nostræ est, egenis prospicere, ac dare operam, ut pauperibus alimenta non desint; salaria etiam quæ sacrosanctis ecclesiis in diversis speciebus de publico haecenus ministrata sunt, jubemus nunc quoque inconcusse, et a nullo prorsus immutata præstari: liberalitatisque huic promptissimæ perpetuam tribuimus firmitatem. — Dat. AETIO et STUDIO CONSS. 454.

## Nova constitutio FRIDERICI imperatoris.

Cassa<sup>23</sup> et irrita esse denunciari per totam Italiam præcipimus omnia statuta et consuetudines contra libertatem Ecclesiæ ejusque personarum, inductas adversus canonicas et imperiales sanctiones, et ea de capitularibus penitus abolere mandat nova constitutio: et de cætero simi-

<sup>12</sup> L. un. *infr. de priv. urb. Constant. inno vide* L. 24, in pr. *infr. h. t.* — 13. L. 7, *infr. de oper. publ.*; L. 4, *infr. de priv. dom. Aug.*; N. 151, c. 5; *add* N. 37 et 149, c. 5. — 14. L. 12, in fin. *infr. de annona et trib.* — 15. L. un. in pr. *infr. de collegiat.* — 16. Arg. L. 5, § 2, D. de jur. immun. — 17. L. ult. *infr. de nar. non excus.* — 18. L. un. *infr. de nauis Tib.* — 19. L. ult. *infr. si contra jus vel util. publ.*; L. 3, *infr. de prec. imper. offer.* — 20. L. 2, *infr. de quib. muer. vel prest.*; L. 11, *infr. de cursu publ.*; L. ult. § 29, D. de muer. —

lia attentata ipso jure nulla esse decernit: si quid contra fiat: poenæ quæ statuta sunt, imminerunt. Sed si per annum hujus novellæ constitutionis aliqui inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum nostrum imperium impune ab omnibus occupentur.

## 13. Idem AA. Palladio præfecto prætorio.

Generali lege sancimus, sive vidua, sive diaconissa, vel virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, sive quocunque alio nomine religiosi honoris, vel dignitatis femina nuncupata, vel testamento, vel codicillo suo (quod tamen alia omni juris ratione munitum sit) ecclesie vel martyrio, vel clero, vel monachio, vel pauperibus aliquid, vel ex integro, vel ex parte, in quacunque re vel specie, crediderit relinquendum: id modis omnibus ratum firmumque consistat: sive hoc institutione, sive substitutione, seu legato aut fideicommissio per universitatem seu speciali: sive scripta, sive non scripta voluntate sub relicto: omni in posterum in hujusmodi negotiis ambiguitate submota. — Dat. 10 kalend. Maji. CP. ANTHEMIO et VALENT. 8 CONSS. 456.

In AUTHENT. de monachis, § illud quoque, col. 1, tit. 5, seu Novel. 5, c. 5, et Novel. 76.

*Ingressi monasteria ipso ingressu se suaque<sup>24</sup> dedicant Deo: nec ergo de his testantur: utpote nec domini rerum.*

In AUTHENT. de sanctissimis Episc., § si qua, col. 9, tit. 6, al. 15, seu Novel. 123, cap. 58.

*Si qua mulier aut vir, liberis non extantibus, monasticam vitam elegerit, et monasterium intraverit: monasterio, quod intravit, res ejus competere jubemus. Sed si persona liberos habens, antequam de rebus suis inter eos disponat, monasterium intret, liceat ei postea inter eos dividere, legitima<sup>25</sup> nulli deminuta: et quod eis non dedit, monasterio competet. Sed si omnem substantiam inter eos filios dividere voluerit, sua persona filiis connumerata, partem sibi retineat, quæ monasterio competere debet. Sed si post ingressum monasterii moriatur, antequam inter eos dividat; filii legitimum percipient, reliqua substantia monasterio competente.*

## 14. Imp. LEO et ANTHEMIO AA. Armasio præfecto prætorio.

Jubemus<sup>26</sup>, nulli posthac archiepiscopo in hac urbe regia sacrosanctæ orthodoxæ ecclesiæ presidenti, nulli economo, cui res ecclesiastica gubernanda mandatur, esse facultatem fundos, vel prædia sive urbana, sive rustica, res postremo immobiles, aut in his prædiis colonos, vel mancipia<sup>27</sup> constituta, aut annonas civiles<sup>28</sup> cujuscunque supra, vel superstitis voluntate ad religiosas ecclesias devolutas, sub cujusque alienationis specie ad quamcunque transferre personam: sed ea etiam prædia dividere quidem, colere, augere, et ampliari: nec ulli iisdem prædiis audere cedere: verum sive testamento quocunque jure facto, seu codicillo, vel sola nuncupatione, legato seu fideicommissio, aut mortis causa donatione, aut alio quocunque ultimo arbitrio, aut certe inter viventes habita largitate, sive contractu venditionis, seu donationis, aut alio quocunque titulo quisquam ad præfatam venerabilem ecclesiam patrimonium suum, partemve certam patrimonii in fundis, prædiis, sive domibus, vel annonis, mancipiis, et colonis, eorumque pecuniis voluerit pertinere: inconcusse ea omnia sine ulla penitus immutatione conserventur. Scientes nulla sibi occasione vel tempore, ad vicissitudinem beneficii collocati, aut gratiæ referendæ donandi, vel certe hominibus volentibus emere, alienandi aliquam facultatem permissam: nec si omnes cum religioso episcopo, et economo clerici in earum possessionum alienationem consentiant: ea enim, quæ ad beatissimæ ecclesiæ jura pertinent, vel posthac forte pervenerint, tanquam ipsam sacrosanctam et religiosam ecclesiam, intacta convenit venerabiliter custodiri: ut sicut ipsa religio et fidei mater<sup>29</sup> perpetua est, ita ejus patrimonium jugiter servetur illæsum. — § 1. Sane, si hæc nostræ perennitatis statuta audaci spiritu et mente sacrilega quisquam economorum, vel hominum temeranda crediderit, ipse quidem, qui protervo usu ecclesiastica prædia donationis, vel emptionis seu commutationis [titulo,] vel cujuscunque contractus alterius nomine (nisi eo modo, quo nunc statuimus) acquirere [vel habere] tentari; omnem hujusmodi fructum propriæ temeritatis amittat: et prælia quidem et munera, quæ ejus rei gratia data fuerint economo, sive aliis quibuscunque personis, ecclesie lucris et commodis acquirantur: prædia autem, et in his omnibus constituta; ab ipsis clericis et temporalibus economis cum fructibus seu pensionibus, vel accessionibus totius mediæ temporis

<sup>21</sup> *Inno vide* L. 2, § 5, *infr. tit. prox.*; d. L. ult. § 29, D. de muer. — 22. L. 12, § 1; L. 35, *infr. tit. prox.*; N. 151. — 23. *add* L. 12, § 1, *supr. h. t.* — 24. N. Leon. 5. — 25. *add* L. 54, et Auth. Presbyteros. *infr. tit. prox.* — 26. N. 7; *add* L. 17, Auth. hoc jus. cum 3, *seqq. infr. h. t.* — 27. Arg. L. 3, D. de divers. tempor. præscr.; L. 6, § 1, *infr. de secund. nupt.* — 28. Arg. N. 7, in pr.; *add* N. 120, c. 1. — 29. L. 16, in fin. *infr. h. t.*



vindictur, ut tanquam penitus a nullo empti vel vendita teneantur: quia ea quae contra leges sunt, pro<sup>30</sup> infectis habenda sunt. — § 2. Oeconomus autem, qui hoc fecerit, imo fieri passus fuerit, vel quacunque prorsus hujusmodi venditione, seu donatione, vel commutatione, [nisi ea, quae praesenti lege concedimus] postremo in quacunque alienatione consenserit: commissa sibi oeconomatus administratione privetur, deque ejus bonis, quodcumque exinde incommodum ecclesiae contigerit, reformetur: heredesque ejus, et successores, ac posterius super hoc facto sive consensu, competenti ab ecclesiasticis personis actione pulsantur. — § 3. His tabellionibus, qui hujusmodi contractuum vetitorum ausi fuerint instrumenta conscribere, irrevocabili exilii animadversione plectendis. — § 4. His quoque iudicibus, vel jus gestorum habentibus, qui hujusmodi donationum vel contractuum vetitorum gesta confecerint, dignitatis propriae et honorum omnium spoliatioe damnandis. — § 5. Sane ne<sup>31</sup> omnis religiosus oeconomicus commoda provisionis via, et occasio venerandis ecclesiis profutura videatur exclusa: id, quod utile plerumque iudicatur, sub cautela observatione necessario procedere concedimus. Si quando igitur vir religiosus oeconomicus hujus regiae urbis ecclesiae perspexerit expedire, ut desideranti cuicumque certarum possessionum atque praediorum (urbanorum scilicet sive rusticorum) ad jus ecclesiasticum pertinentium temporalis ususfructus possessio pro ipsius petitione praestetur<sup>32</sup>: tunc ejus temporis, quod inter utrosque convenit, sive in diem vitae suae ab eo, qui desiderat, postuletur, pacta cum eo, qui hoc elegerit, inaeconomus, atque conscribat: per quae et tempus, intra quod hoc praestari placuerit, statuatur: et manifestum sit, quod quisque acceperit ab invicem hujusmodi beneficii gratia: praestando quidem ecclesiastici praedii pro tempore ususfructus: post statutum autem tempus et placitum, ipsorum redditum proprietate ad dominium, et jus ecclesiasticum recurrente firmiter: ita scilicet ut sive completo spatio, quod fuerit inter eos constitutum, sive mortis suae tempore (si hoc quoque convenerit) is qui possessionem ecclesiasticam et certorum reddituum ususfructum habendi gratia interveniente pacto susceperit, non minus quam alterius tantae quantitatis, quantae acceperit redditus, cum ipsorum praediorum dominio et rebus immobilibus, eorumque colonis et mancipiis ecclesiae derelinquat: nisi enim hac conditione pacta inita fuerint, ea quoque decernimus non valere, sed possessionem ecclesiasticam, tanquam nullo jure transcriptam, in jure ipsius, atque dominio permanere, et ab ecclesiasticis oeconomicis vindicari. D. CP. JORDANE ET SEVERO CONSS. 470.

In AUTHENT. de non alienandis aut permutandis, § nos igitur, col. 2, tit. 1, seu Novell. 7, c. 1, et in auth. de Alienat. et emphyt. § hoc etiam super ipsis, et § hoc vero jubemus, col. 9, tit. 5, seu Novell. 120, c. 6 et 7.

Hoc jus porrectum est ad omnem venerabilem locum, omneque collegium, quod actio pia constituit: ut nec res eorum pignorentur. Et hoc perpetuo servetur in his rebus immobilibus, quae<sup>33</sup> ab imperiali domo praedictis locis applicantur. In caeteris eatenus excipitur, si debitum urget. Quod si ex mobilibus solvi non possit: primo<sup>34</sup> res immobiles specialiter<sup>35</sup> dentur pignori: quarum fructus creditor sibi reputet tam in sortem, quam in usuras usque ad quartam centesimae. Quod si nolit creditor ita accipere: tunc ordinator domus apud eum, a quo ordinator, habitus absque dispendio gestis, juret majore parte ibidem servientium consentiente, et debitum existere, nec ex mobilibus solvi posse: quo subsecuto, per viginti dies rem ecclesiae venalem esse publice notum sit; ut plus offerenti detur, pretio modis omnibus pro debito dando<sup>36</sup>: aliter enim res emptori non conceditur: et hoc inscribatur nihil esse factum in ea re ad damnum divinae domus. Emptore vero non invento, res aestimata districte creditori detur in solutum, addita in pretio universae aestimationis decima parte, et accedente consensu ordinatoris, et majoris partis ibidem servientium: sit tamen ea res mediocris<sup>37</sup> inter caeteras, inspecta ipsius qualitate et quantitate et onere. Et is creditor hic intelligatur, qui, quod creditur, probat in utilitatem divinae domus processisse.

In AUTHENT. de non alienandis aut permutandis, § sicut autem, col. 2, tit. 1, seu Novell. 7, cap. 12.

Sicut alienatio rerum ecclesiae interdicitur: ita prohibetur, ne qua sterilis ei detur possessio, aut alioqui onerosa, veluti fiscalium nomine vel onere.

30. L. 5, infr. de legib. — 31. Adde L. 24, § 1, D. de minor. L. 12, § 1, D. de admin. et peric. tut. — 32. N. 7, c. 4. — 33. N. 120, c. 7, in pr. — 34. Adde L. 15, § 2, D. de re judic. — 35. Immo vide N. 7, c. 6, § 1. — 36. N. 46, c. 1, vers. euentibus. — 37. Vide tamen N. 4, c. 5. — 38. L. 46, D. de contrah. empt. — 39. L. 20, D. de rei vind. — 40. Vide tamen N. 7,

In AUTHENT. de non alien. § quia vero cognovimus, col. 2, tit. 1, seu Nov. 7, c. 11, et in auth. de alien. et emph., § et quoniam, col. 9, tit. 5, seu Nov. 120, c. 7.

Multo magis prohibetur ipsius monasterii alienatio, qua redeat in antiquum statum, et secularem usum.

In AUTHENT. de alien. et emph., § si vero non sint, versi, oeconomicis, col. 9, tit. 5, seu Nov. 120, c. 5.

Quibuscunque modis hoc jus aliis permittitur: interdicitur certis personis, res hujusmodi accipere, ut oeconomico<sup>38</sup>, ejusque cognatis: alioqui bona eorum et oeconomicorum, et ordinatorum, quibus conjuncti sunt, post mortem eorum perveniant ad ecclesiam, de qua rem accipiunt.

In AUTHENT. de non alien. aut permut., § quia vero Leonis, col. 2, tit. 1, seu Nov. 7, c. 5, et col. 9, tit. 3, de alien. et emph., § Si vero praeter haec, seu Nov. 120, c. 11.

Qui res jam dictas non gratuito alienationis titulo citra formam legis accepit, rem quidem cum omni incremento medii temporis restituat: ejus autem quod dedit, nullam actionem contra venerabilem locum, sed adversus eum, qui alienavit, habet. Donatarius autem et rem cum omni causa<sup>39</sup>, et fructum restituat, et aliud tantumdem. Creditor quoque, resoluta re pignorat, crediti actionem contra solum pignoris datorem habeat. Emphyteusis acceptor, et ab ea cadat: nec quod dedit repetat: immo statim solvat, quod solviturus esset uno quoque anno, si jure contraxisset: sed melius dicitur, omnimodo denegandas esse actiones hujusmodi acceptori.

In AUTHENT. de alien. et emph., § si vero quaedam sunt, col. 9, tit. 5, seu Nov. 120, c. 1.

Si quas ruinas habent memoratae divinae domus, quas reedificare non valent, et haec in emphyteusim dentur perpetuam<sup>40</sup>: emphyteuta usuro materia habitationis depositus detur, ut pensio diminuat, in tertiam partem ab ea, quae stantibus adhuc aedificiis colligebatur, aut primius eo re aedificante exadjectis illi per aestimationem pensionibus, medietas detur religiosae domui: nam priore casu ab initio emphyteusis praestanda est pensio.

In AUTHENT. de non alien., § quia vero Leonis, col. 1, tit. 2, seu Nov. 7, c. 5, et in auth. de alien. et emph., § et hoc quidem, ver. licentiam, col. 9, tit. 5, seu Nov. 120, c. 6.

Perpetua quoque emphyteusis in his permittitur rebus, si res in eorum geratur praesentia, quibus hoc adsignatur lege: jurantibus his quorum interest, ex eo contractu nihil ad lesionem divinae domus effici: solito redditu ipsius rei, qui fuit cum divino juri dedicaretur, non minuendo nisi in sextam partem: aut, si ob cladem diminuta fuerit, tunc pro constante nunc pensione in emphyteusim detur. Quod si res pretiosa quidem est, parum tamen, aut nihil praestat pensionem, res subtiliter aestimanda est, ut ex hac pensio justa constituatur. Ea tamen sola dentur in emphyteusim, quae ad hoc congrua videntur oeconomico et aliis gubernatoribus.

In AUTHENT. de non alien. et permutan., § Sinimus igitur, col. 2, const. 1, seu Novell. 7, c. 2.

Sed et permutare principi licet pro re majori, meliori, vel aequali, si respublica hoc exposcit, et pragmatica forma super hoc praecedente.

In AUTHENT. constitutio quae ex adscriptio, § quia igitur, col. 5, tit. 9, al. 7, seu Nov. 54, c. 2.

Item sibi invicem recte permutant<sup>41</sup> cum utriusque indemnitate, eorum scilicet consensu interveniente<sup>42</sup>, qui supra referuntur.

In AUTHENT. de alien. et emph., § Si vero quis de praedictis, col. 9, tit. 3, seu Nov. 120, c. 7.

Item praedium propter onus fiscale<sup>43</sup> inutile alienatur, gestis (ut supra) conficiendis, eodem juramento praestito, id est, quod alia de causa non alienatur, nisi ut immunitas ejusdem venerandae domus servetur.

In AUTHENT. de alien. et emphyt., § Si vero quis aut locator, col. 9, tit. 3 seu Nov. 120, c. 8, et de non alien. § scire, col. 2, tit. 1, seu Nov. 107, c. 3, et 120, c. 8.

Qui rem hujusmodi conductam vel in emphyteusim acceptam fecerit deteriorem<sup>44</sup>, aut emphyteuicam canonem per biennium<sup>45</sup> non sol-

c. 5. — 41. N. 55, c. 2. — 42. Auth. hoc jus porrectum supr. h. l. — 43. Adde Auth. sicut supr. eod. — 44. L. 5, infr. de locato. — 45. L. 24, § 1, D. locati cond.; L. 2, infr. de jur. emph. coll.; N. 7, c. 5, § 2.

verit, hac lege repellit potest: ut tamen solvat totius temporis pensionem, et id, in quo rem laesit, resarciat: non repetiturus<sup>46</sup>, si quid impendit nomine meliorationis.

In AUTHENT. de alien. et emph., § Si vero aliquis voluerit, col. 9, tit. 5, seu Novell. 120, c. 2.

Haec usus praestatio locum habet in omni domo religiosa, quo finito, res utraque pleno jure perveniat in domum jam dictam: nec tributis quidem gravata majoribus sit ea res quae datur invicem, et ejusdem redditus sit.

#### 15. Imp. ZENO.

Si quis donaverit aliquam rem mobilem vel immobilem vel se moventem, aut jus [aliquid] personae martyris aut prophetae, aut angeli, tanquam ipsi postea oratorium aedificaturus: et donationem insinuaverit, apud quos necesse est, cogitur opus, quamvis nondum inchoatum fuerit, perlicere per se vel per heredes, et perfectio operi dare ea, quae donatione continentur. Idem et in Xenodochiis, et Nosocomiis et Ptochiis obtinet, licentia danda episcopis et oeconomicis convenire ipsos. His vero adimpletis, administratio secundum ea quae his, qui liberalitatem exercuerunt, visa fuerunt, et secundum praescriptos fines fiat.

#### 16. Imp. LEO ET ANTHEMUS AA. SEBASTIANO P. P.

Decernimus, ut antiquatis ac infirmatis funditus his, quae contra ipsum orthodoxae religionis Deum quodammodo facta sunt, in integrum restituantur universa, et ad suum ordinem revocentur, quae ante professionem nostrae mansuetudinis de orthodoxae religionis fide, et sanctissimarum ecclesiarum et martyriorum statu firmiter obtinebant<sup>47</sup>: his, quae contra haec tempore tyrannidis innovata sunt<sup>48</sup>, tam contra venerabiles ecclesias, quarum sacerdotium gerit beatissimus ac religiosissimus episcopus patriarcha nostrae pietatis pater Acacius, quam contra caeteras, quae per diversas provincias collocatae sunt, necnon et reverendissimos earum antistes, seu de jure sacerdotium creationum, seu de expulsionem cujusquam episcopi a quolibet his temporibus facta, seu de prerogativa in episcoporum concilio, vel extra concilium ante alios<sup>49</sup> residendi, vel de privilegio metropolitano vel patriarchico sub iisdem impiis temporibus, penitus antiquandis: ut cassatis<sup>50</sup>, et rescissis, quae per hujusmodi sceleratas jussiones aut pragmatias sanctiones aut constitutiones impias sive formas subsecuta sunt, quae a divae recordationis retro principibus ante nostrum imperium, et deinceps a nostra mansuetudine indulta vel constituta sunt, super sanctis ecclesiis et martyriis, et religiosis episcopis et clericis aut monachis, inviolata serventur. Sacrosanctam quoque hujus religiosissimae civitatis ecclesiam, et matrem nostrae pietatis, et christianorum orthodoxae religionis omnium, et ejusdem regiae urbis sanctissimam sedem, privilegia et honores omnes super episcoporum creationibus, et jure ante alios residendi, et caetera omnia, quae ante nostrum imperium, vel nobis imperantibus habuisse dignoscitur, habere in perpetuum firmiter regiae urbis intuitu iudicamus, et sancimus. — Datum 16 kalend. Jan. ARMATIO V. C. CONS. 476

#### 17. Imp. ANASTASIUS.

Privilegia magna ecclesiae Constantinopolitanae<sup>51</sup>, et sub ipsa administratarum et sustentatarum venerabilium domorum custodiuntur. — § 1. Aliae autem ecclesiae et monasteria et ptochia et xenodochia et orphanotrophia ejusdem civitatis et confinium ejus, et quae sub ordinatione episcopi ejusdem sunt, quique ab eo ordinatorum metropolitae, aut qui ab illis, immobile quid aut civiles panes ne alienant, nisi utilis sit venditio aut hypotheca, aut permutatio, aut perpetua emphyteusis. Hoc est, quando pretium ejus, quod venditur, aut mutuum, quod sub hypotheca sumitur, profuturum est ad liberationem debiti ex successione contracti, aut ad usus alios necessarios loco venerabili impendentes, aut ad aliam magis necessariam rem redimendam, aut ad imminuentem venerabilis domus restaurationem: et si permutationem faciant, eam faciant cum re magis necessaria, et redditum non minorem eo, quod datur, habente, et emphyteusim<sup>52</sup> quoque [faciant] absque redditu diminutione, aut de re, seu possessione minus idonea [seu foenea: ] nam quae ob sterilitatem damnosa sunt, donari et concedi possunt<sup>53</sup>. — § 2. Id vero, quod gestum erit, non aliter valeat, nisi una ex supradictis causis in actis manifestetur, Byzantii quidem apud magistrum census: in provinciis autem apud defensores (civitatum) propositis sanctis Scripturis: et pro ecclesiis quidem praesentibus oeconomicis, et qui in his morantur, clericis: pro monasteriis autem, praesentia requiritur abbatum, et caeterorum mona-

46. d. l. 2, infr. de jur. emph. — 47. L. 22, § 1, infr. de episcop. et cleric. — 48. L. 6, supr. h. l. — 49. Immo vide N. 151, c. 2. — 50. Adde Auth. causa et irrita, supr. h. l. — 51. L. 14, supr. eod.; N. 7, princ. — 52. d. N. 7, c. 5. — 53. d. N. 7, c. 12. — 54. L. 7, infr. de legib. — 55. § 1, supr. h. l. — 56. N. 59, c. 6, in fin. — 57. L. 13, infr. de operib. publ. —

chorum: pro ptochiis vero administratoris, et ministrorum, et pauperum: pro xenonibus autem, administratoris, et omnium, qui inveniuntur, ministrorum gubernationis: et similiter in orphanotrophiis observatur: ita ut obtineat quod pluribus placuerit, consentiente etiam episcopo locorum, in quibus consuetum est fieri. Non valente magistro census, aut defensore se excusare, quominus suscipiant ac comprehendant venerabilem domum, in qua talis conficitur actio indemniter, et defendant ipsam: subjiciantur enim, ob praetergressionem, poenae auri librarum viginti. Et post haec fiant instrumenta mentionem facientia causarum, et monumentorum confectionis, et appellationis eorum, qui adfuerunt, et apud quem confecta sunt. — § 3. Si quid autem supradictorum praetermissum fuerit: tam foenerator, quam emptor excidat ipsa re et credito, et pretio, qui vero in permutationem accepit, et id quod dedit, et id quod cepit, amittat: qui vero in emphyteusim super propriam vitam accepit, vel donationem, vel concessionem prohibitam; reddid quod accepit, et quantitatem alteram, quanti est id, quod datum est. — § 4. Locum autem habent praedicta, et in futuris ecclesiasticis rebus, et in praeteritis aut praesentibus<sup>54</sup>. — § 5. Existentibus autem rebus mobilibus extra sacra vasa, et sufficientibus ad dictas causas, cesset necessarium immobilium rerum, et panum<sup>55</sup>, tam alienatio quam hypotheca.

#### 18. Imp. ANASTASIUS.

Magna, etc. Constitutio adsignat magnae ecclesiae Constantinopolitanae, septuaginta librarum auri redditum, eam ob causam, ut scilicet exequiae<sup>56</sup> sine sumptu et gratis fiant in urbe Constantinopolitana, et usque ad novos muros<sup>57</sup>, et Blachernas. Nam Syca (seu Sycorum<sup>58</sup> transitus) pars sunt civitatis. Statuit contra delinquentes poenam quinquaginta auri librarum.

#### 19. Imperator JUSTINIANUS A. MENNAE P. P.

Illud, quod ex veteribus legibus (licet obscure positus) a quibusdam attentabatur, ut donationes super piis<sup>59</sup> causis factae, licet minus in actis intimatae essent, tamen valerent; certo et dilucido jure taxamus: ut in aliis quidem casibus jura vetera super intimandis donationibus intacta maneat. Si quis vero donationes usque ad quingentos solidos in quibuscunque rebus fecerint, vel in sanctam ecclesiam, vel in xenodochium, vel in nosocomium, vel in orphanotrophium, vel in ptochotrophium, vel in gerontocomium, vel in brephotrophium, vel in ipsos pauperes, vel in quamcumque civitatem istae donationes etiam citra actorum confectiones convalescant, sin vero amplioris quantitatis donatio sit (excepta<sup>60</sup> scilicet imperiali donatione) non aliter valet, nisi actis intimata fuerit. Nulli danda licentia, quacunque alia causa, quasi pietatis jure subnixi, praeter eas, quas specialiter exposuimus, introducenda, veterum scita super intimandis donationibus permutare. — Dat. 528. Cont.

#### 20.

Nec ex sacra forma vel archiepiscopi jussu annonae militaris ad oratoria, vel clericos, vel monasteria transferatur; quasi deficientibus numero corporibus.

#### 20. Imp. JUSTINIANUS A.

Neque per sacras formas, neque per jussionem magistratuum, licet transferre militares annonas ad pias domos, aut clericos.

#### 21. Idem, A. Demostheni praefecto praetorio.

Sancimus, nemini licere, sacratissima<sup>61</sup> atque arcana vasa, vel vestes, caeteraque donaria, quae ad divinam religionem necessaria sunt, (cum etiam veteres leges ea, quae juris divini sunt<sup>62</sup>, humanis nexibus non illigari sanxerint) vel ad venditionem, vel hypothecam, vel pignus trahere: sed ab his, qui haec suscipere ausi fuerint, modis omnibus vindicari tam per religiosissimos episcopos, quam per oeconomicos, nec non et sacrorum vasorum custodes: nulla eis actione relinquenda<sup>63</sup>; vel super recipiendo pretio, vel fenore exigendo, pro quo res pignorate sunt: sed omnibus hujusmodi actionibus respuendis, ad restitutionem eorum omnibus modis coartari: sin autem vel conflata sunt, vel fuerint, vel alio modo immutata vel dispersa: nihilominus vel ad ipsa corpora, vel ad ipsa pretia eorum exactionem competere sive per in reum, sive per conditionem sive per in factum actionem: cujus tenor in multis, et variis juris articulis saepe est admissus: excepta<sup>64</sup> videlicet causa captivitatibus, [et famis] in locis his, in quibus hoc (quod abominamur) contigerit: nam si necessitas fuerit in redemptione captivorum, tunc et venditionem praefatarum rerum dicitur vinarum, et hypothecam, et pignorationes fieri concedimus: quoniam non absurdum est, animas hominum quibuscumque vasis, vel vestimentis pra-

58. N. 59, c. 5. — 59. L. 56, in pr. infr. de donat. — 60. L. 34, infr. d. t. N. 53, c. 2. — 61. § 8, Inst. de rer. divia. L. 1, infr. de sepulchra. N. 7, c. 3. — 62. L. 9, infr. de religio. L. 4, l. 6, in pr. D. de contrah. empt. L. 9, D. de usurp. et usucap. L. 6, § 2, D. de divia. rer. — 63. Immo vide N. 7, c. 6, princ. — 64. § 8, Inst. de rer. divia; N. 7, c. 8. — 65. N. 120, c. 1